Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



in præsenti nominamus de flumine quod dicitur Pudia usque ad flumen quod dicitur Schwartzenbach. deinde usque ad juga Alpium vallis quæ dicitur Arina. et exinde --- quæ dicitur Wizzental, usque ad flumen quod Pirra vocatur. -- firmavimus, ut nullus ~~præsumat~~ præter voluntatem præfati Episcopi etc. Data VIII Kal. Feb. An. dominicæ incarnationis M. XL VIII. Indictione prima. Ita habet Diploma apud Gewoldum Metr. Sal. t. I. Ubi etiam ex Ciaconio in vita Damasi II hæc afferuntur: Damasus II. iuniór, Germanus, Bavarius, Popo Bagniarius antea vocatus, Episcopus Brixinensis, et Patriarcha Aquilegien. homo ignobilis, vir alioqui ingeniosus, et negotiorum tractandorum dexter, Imp. Heinrico tertio Aug. sedit dies XXIII. consecratus et coronatus Romæ XVI. Kal. Aug. die dominico anno M. XL VIII. Platina optimi Pontificis famam temere suis scriptis fœdavit; Martinum et Gulfridum, non tutæ fidei auctores secutus etc. Popo autem cum honestissimo comitatu Romam pervenit, atque ab omnibus summo honore acceptus. Vid. etiam Pagius in notis ad Baron. Annal. an. 1048.

114) Burglehner Ag. Tir. l. 16, c. 3. An hinc forte insignia Brixinensia Agnum referunt? Non: ~~ait~~ respondet Franc. Brandisius in tirol. Ehrenkrænzel p. II; quia jam ante Popponem eisdem insigniis utebatur Brixinensis Ecclesia.

115) Ciaconius in vit. Damasi II. Hermannus Contr. ad an. 1048.

116) Vetustissimum, quod hactenus mihi occurrit, hujus loci nomen est Stammes, frequentissimum autem Stams. Dein legitur etiam Stames, Stamis, Stamys, Stamus, Stamms, Stamps, Stampz, Stamp, Stampium, Stambs, Stammbs, Stam, Stamsium. [Nonnunquam tam in manuscriptis quam impressis occurrit Stirpinium, et monasterium Stirpinense; uti suis locis observabimus. Stamm ~~germanice~~ latine stirpem esse, nemo nescit. Locum Stammes stirpibus quercuum densissime olim consitum fuisse, ~~tum traditio antiquissima~~, tum complures hodiedum residuæ, tum traditio antiquissima, convincunt. Syllaba finalis es pluralem numerum antiquis Theotiscis faciebat teste Gottschedo in der deutschen Sprachkunst p. II, c. 3, § 3. Inepte igitur non nemo nomen Stambs contractum existimavit ex Stainwis, quasi pratum lapidibus obrutum; eo quod torrens Eschbach campos Stamsenses lapidibus obruere frequenter soleret. Ineptius alius a stirpe nobili serenissimi Fundatoris nomen Stams deducere conatus est. Apage nugas!

[Kirschius in lexico latino germ. Stami, Stambs.